

quæ de concordia gratiæ cum libero arbitrio in toto discursu illius operis traditur, inter quæ sæpe ait liberum arbitrium per se sufficere ad volendum vel amandum, etc., non tamen ad bene volendum, vel amandum Deum sine gratia. Tamen hæc et similia illo uno verbo Bernardi declarantur, nam, cum dixisset salutis causam non in libero arbitrio, sed in sola Dei misericordia esse quærendam, pro ratione adjungit: *Cujus quippe (id est liberi arbitrii), conatus ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adjuventur, et nulli, si non excitentur.* Non ergo excludit conatum liberi arbitrii ab ejus determinatione, quantumvis bona, sed ante illam dicit præcedere excitantem gratiam, et illam non fieri sine adjuvante; præter has vero nullam aliam gratiam requirit vel admittit; unde paulo inferius tractando illud 1 ad Cor. 3: *Coadjutores Dei sumus*, sic inquit: *Ibi Deus homini benigne merita constituit, ubi per ipsum, et cum ipso boni quidpiam operari dignanter instituit: hinc coadjutores Dei, etiam cooperatores Spiritus Sancti, promeritores regni nos esse præsumimus, quod per consensum utique voluntarium divinæ voluntati conjungimur*, et subjungit: *Quid igitur? Hoc totum liberi arbitrii opus, hoc solum ejus est meritum, quod consentit? Est prorsus.* Totus ergo consensus est opus liberi arbitrii; ergo et determinatio ad consensum; nam vel est ipsemet consensus, vel aliquid ejus, et maxime ad libertatem ejus pertinens, quia est effectio ejus. Dum autem dicit hoc totum esse opus liberi arbitrii, non excludit quin totum sit principaliter a gratia. Et ideo subjungit: *Non quidem, quod vel ipse consensus, in quo totum meritum consistit, ab ipso sit, cum nec cogitare, quod minus est quam consentire, aliquid a nobis quasi ex nobis sufficientes simus; et post multa concludit: Cavendum ergo, cum hæc invisibiliter intra nos, ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma est; aut Dei necessitati, quæ nulla est; sed soli gratiæ, qua plenus est. Ipsa liberum excitat arbitrium cum seminat cogitatum; sanat cum mutat affectum, roborat ut perducatur ad actum, servat ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut tantum illud in primo præveniat, in cæteris comitetur. Ad hoc utique præveniens, ut jam sibi deinceps cooperetur; ita tamen, quod a sola gratia cæptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim, simul, non vicissim, per singulos profectus operentur, non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum*

singula opere individuum peragunt. Totum quidem hoc, et totum illa, sed sicut totum in illo, sic totum ex illa. Quo testimonio nullum vel luculentius vel evidentius ad nostram doctrinam declarandam excogitari potest. Nam ante omnia præbet initium soli gratiæ, illudque initium in gratia præveniente ponit, cujus munus esse dicit, animum hominis, scilicet intellectum et voluntatem, interius excitare. Deinde, in nullo alio ponit præventionem seu efficacitatem solius gratiæ, sed in cæteris omnibus effectibus ponit illam cooperantem et comitantem. Verum non agnoscit aliam efficacem motionem solius gratiæ, quasi mediam inter excitantem gratiam et cooperantem, id est posteriorem illa, et priorem ista. Denique optime declarat quomodo totum sit a gratia, quia nimirum nihil fit sine illa, et inchoante et perficiente, quanquam non sola ipsa efficiat totum, nisi quoad initium, nam quoad reliqua, inter quæ sine dubio est determinatio ad consensum, totum etiam est a libero arbitrio in suo genere.

Sed fortasse totum hoc testimonium Bernardi nobis objecit ille auctor propter illa verba ultima quæ ex illo refert. Nam agens de corona justitiæ, dicit voluisse Deum habere hominem illius promeritorem, quia dignatus est habere eum coadjutorem: *Porro (inquit) coadjutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium reputatur in meritum; si ergo a Deo voluntas est, et meritum; nec dubium quin a Deo sit et velle et perficere pro bona voluntate. Deus igitur auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. Ecce (inquit) universa Deo Bernardus tribuit, etiam bonam voluntatem, et ejusdem applicationem.* Quis autem hoc negat, vel quid in his verbis dicit Bernardus quod prius non dixisset, et modum de quo est tota controversia, magis explicet? Facit enim Deus et volitionem bonam, et applicat voluntatem ad illam, vel excitando per prævenientem gratiam, vel vere ac physice efficiendo et operando; tamen priori modo operatur solus, posteriori autem modo non solus, sed cum ipsa voluntate, ut diserte etiam Bernardus declaravit. Ergo ex illa operatione vel applicatione non potest colligi physica prædeterminatio, quam solus Deus prius faciat ad applicandam voluntatem ad unum.

Sexto refertur Ansbertus, quod in capite

ultimo Apocalyps. dicat: *Præveniente gratia salvamur et justificamur; ipsa enim præcedit hominem, ut ei quo pergere debet iter ostendatur; ipsa etiam subsequitur, ut ad id quod ostendit, etiam impellat.* Totaque vis hujus testimonii ponitur in illo verbo, impellat, quia importat (ait) manifestam efficaciam auxilii prævenientis; sed interrogo an importet talem efficaciam cui liberum arbitrium non possit resistere, vel talem ut resistere possit. Prior exaggeratio et est contra vim et proprietatem verbi; non enim omnis qui impellere dicitur, eo ipso dicitur vincere et superare omnem resistantiam, seu potestatem resistendi; et est contra sanam doctrinam ac definitiones Conciliorum; et ideo sine causa imponeretur talis sensus illi auctori. Si autem sensus est de efficacia, qua non obstante, liberum arbitrium potest resistere, etiam ex suppositione illius, nemo est qui hanc efficientiam neget prævenienti gratiæ; tamen eo ipso talis non est ut physice prædeterminet voluntatem ad unum, quia si talis esset, non posset voluntas ei resistere; imo si impulsus ille gratiæ prævenientis talis est, ut ei possit voluntas resistere, profecto quatenus talis est, id est, quatenus antecederet impellit, non dum physice efficit actum illum ad quem impellit, sed solum præbet ipsum formalem impulsus, qui in aliqua inspiratione, affectu, aut pio desiderio vel timore consistit.

Cabrera, 3 p., quæst. 13, disp. 2, § 4, n. 1. — Ultimo alius arguens profert Abulensem, in capit. decimo nono Matth., quæstione centesima septuagesima quarta, ubi (ait ille), sequens doctrinam Aristotelis et omnium philosophorum, inquit Deum non solum influere in effectum, sed etiam in causam, præmovendo et determinando liberum arbitrium, tametsi servata illius libertate. Verum tamen nulla talia verba in illa quæstione Abulensis inveniuntur, et sunt alia multa in quibus nostram expresse docet sententiam. Nam in quæstione 174, vers. *Quod autem dicunt*, imprimis habet hæc verba: *Libertas arbitrii est quod possit se determinare ad quodcumque genus operis, et ad quemcumque modum.* Addit vero secundo non posse facere opus meritorium sine gratia, quæ est habitus facultatem naturæ excedens. Hoc vero declarans subjungit tertio: *Potest tamen liberum arbitrium ex seipso velle facere opus meritorium; quia sicut est in potestate ejus determinare se ad genera actuum et objectorum, ita potest se determinare ad modum actus, non*

tamen potest facere liberum arbitrium, quod ille actus quem vellet esse meritorium sit meritorium, nisi habeat gratiam adjunctam, quia liberi arbitrii est determinare se ad rem, non tamen dare rei genus, seu modum essendi. Quod late prosequitur et indigeret quidem majori explicatione; tamen, quod ad rem spectat, determinationem semper tribuit libero arbitrio, etiam in operibus gratiæ, quanquam non soli nec sine divino adjutorio operanti, ut statim ipse declarat dicens: *Cum dicitur liberum arbitrium per se aliquid posse, non excluditur adjutorium Dei, ut est causa universalis operans in nobis.* Atque eodem sensu subjungit in solutione ad primum: *Sine Deo gratis donante nihil possumus facere, cum ipse sit causa universalis et principium omnis boni, non solum in hominibus, sed etiam in omnibus creaturis.* Et in solutione ad tertium dicit, Deum non solum per gratiam nos adjuvare, sed etiam interius operando in ipsa voluntate, sicut in aliis rebus. Ubi agit de concursu ad volendum, qui sine dubio est intra voluntatem, quia ipsa volitio in voluntate est. Nunquam vero significat Abulensis illum concursum esse vel supponere motionem Dei in causam, seu voluntatem distinctam ab actione volendi, et priorem illa, multoque minus insinuat esse talem motionem, quæ sola sua vi voluntatem prædeterminet? Quin potius addit in quæstione centesima septuagesima quinta, quod, propositis duabus partibus contradictionis, Deus facit ut una earum eligatur: *Non (inquit) determinando liberum arbitrium ad hoc, et distrahendo ab illo; quia istud esset contra conditionem libertatis, et nihil relinqueretur libero arbitrio per quod esset liberum.* Postea vero declarat morale modum quo Deus inclinatur, et inducit voluntatem ad alteram partem.

CAPUT XL.

QUID IN HAC CONTROVERSIA D. THOMAS DOCUERIT
AUT SENSERIT.

Qui divo Thomæ attribuunt sententiam de gratia efficaci de se prædeterminante physice voluntatem, nulla proferunt formalia verba per quæ divus Thomas id docuerit, sed interdum id colligunt ex generalibus principiis male applicatis, vel ex aliis verbis suo iudicio æquivalentibus, cum revera talia non sint, sed possunt commode aliter exponi, imo et debent necessario, vel inspecta materia de

qua tractatur, vel considerata tota doctrina divi Thomæ in variis locis. Ita enim expedit facere ad mentem alicujus auctoris attinendam. Quoniam vero locutiones divi Thomæ variæ sunt et multiplices, ut melius tota materia comprehendatur, congruum erit illas omnes ad duo capita revocare; quædam enim sunt generales de voluntate creata, seu libero arbitrio, ut dependente a Deo in operando, tam in operibus naturæ quam gratiæ; aliæ pertinent specialiter ad efficaciam seu efficientiam gratiæ. Rursus priores quædam sunt absolute de omnibus actibus voluntatis, hoc solo quod actus sunt efficienter procedentes a voluntate tanquam a causa secunda, sive procedunt ab illa sola, ut a causa proxima, sive ab illa, ut jam affecta aliquo priori actu. Aliquando vero specialius loquitur de modo quo Deus voluntatem movet ad primum actum, non ea ratione qua ad illum concurrat, ut causa prima cum causa secunda, sed ea peculiari ratione qua primus actus est. Primo igitur considerando Deum ut primam causam influentem in omnem, actionem causæ secundæ, solet divus Thomas tribuere Deo efficaciam et motionem in actus liberos voluntatis humanæ, eisdem fere verbis generalibus quibus ei tribuit actiones omnes causarum naturalium, eamque cum proportionem applicat ad voluntarios seu liberos, et naturales motus, vultque efficaciam divinæ potentiæ in hoc consistere, ut omnes quidem moveat et applicet ad sua opera, et nihilominus unamquamque relinquat modo sibi proprio operari, scilicet, naturales causas naturaliter, et liberas libere. Quæ quidem omnia sub his generalibus verbis nos etiam fatemur; dicimus tamen ex illis omnibus solum duo haberi. Primum est, voluntatem nostram habere ex efficacia divinæ virtutis potestatem, tum operandi, tum etiam libere operandi, quam Deus ita conservat, et per providentiam suam ita gubernat, ut eam non solum voluntarie, sed etiam libere, et operari, et se etiam ad opus determinare sinat. Secundum est, Deum efficere in voluntate et cum voluntate omnem actionem, mutationem et determinationem ejusdem voluntatis per veram et physicam efficientiam quæ et opus efficaciter faciat, et liberum usum voluntatis non impediatur. Præter hæc autem nihil aliud ex doctrina divi Thomæ, circa divinam voluntatem, providentiam, gubernationem, aut generalem causalitatem colligi potest. Illa vero omnia optime subsistunt sine motione prædeterminante. Et

multa alia sunt apud D. Thomam quæ cum illa subsistere non possunt. Quæ omnia melius constabunt descendendo ad propria loca D. Thomæ, quæ vel ab adversariis vel a nobis afferri solent.

D. Thomas. — Primo affertur vulgaris doctrina D. Thomæ in prima parte, quæstione decima nona, articulo octavo, ubi interrogat an divina voluntas necessitatem rebus volitis imponat; et respondet non imponere omnibus effectibus hanc necessitatem, reductique primam radicem et originem hujus varietatis effectuum, quod, scilicet, quidam sint contingentes, et alii necessarii, non in solas causas proximas, sed præcipue in efficaciam divinæ voluntatis, quæ per se intendit illam varietatem effectuum, et potens est efficere ut non solum illi effectus fiant quos ipsa vult, sed etiam eo modo quo vult. *Vult autem (inquit) Deus quædam fieri necessario, et quædam contingenter, et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus ex necessitate proveniunt; quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniant.* In hoc loco dicit quidam arguens expresse docere divum Thomam, Deum movere omnia efficacissime, juxta naturas et conditiones eorum, necessaria necessario, contingenter contingenter, ac proinde movere liberum arbitrium libere, nativa libertate non sublata, sed aucta.

Ad hoc vero duo dicimus: primum est D. Thomam hoc loco nihil dixisse de motione efficacissima Dei in ipsas causas secundas, sed dixisse solum habere efficaciam divinam voluntatem ut faciat fieri quod vult et eo modo quo vult; et ad hoc posse aptare causas secundas accommodatas. Quod autem hæc aptitudo consistat in motione efficacissima ipsius Dei circa causam secundam, hoc non dixit divus Thomas et potest optime talis efficacia consistere in danda tali natura tali causæ secundæ, et juxta illam accommodatum concursum et accommodatam præparationem vel inclinationem, ut et operetur modo consentaneo suæ naturæ et faciat quod Deus vult, eo modo quo in singulis actibus particularibus Deus hanc suam efficaciam exequitur; quem modum in loco illo D. Thomas non explicat. Non potest autem commode intelligi ille articulus de motione physica prædeterminante, quia doctrina ejus universalis est ad omnes effectus contingentes, etiamsi annexam habeant moralem malitiam; non pertinet au-

tem ad efficaciam divinæ voluntatis ita providere hujusmodi effectus, ut ad illos in particulari determinet causas secundas per efficacissimam præmotionem; nam quod non est consentaneum divinæ bonitati, non potest pertinere ad efficaciam voluntatis ejus. Item non quadrat illa intelligentia, quia in hoc ponitur efficacia Dei ad providendos effectus contingentes, quia ad eos aptavit causas contingentes defectibiles; ergo contingencia non prærequirit illam efficacissimam præmotionem Dei; quin potius, si maxime destrui posset, per illam motionem destrueretur, quia illa tolleretur defectibilitatem (ut sic dicam) causæ secundæ, quia non posset resistere nec deficere ab illa motione.

Secundo videtur apparentius posse urgeri ejusdem Thomæ responsum ad 5, articulo tertio ejusdem quæst. 19; tendebat enim argumentum illud ad probandum divinam voluntatem non posse esse liberam in volendo, quia alias esset indeterminata, et ita non posset aliquid determinate velle nisi ab alio determinaretur, quia ab eo quod est ad utrumlibet, non sequitur actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Comment. secund. Physic., et respondet quod causa secunda, quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum, et voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinet seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Ex hoc loco colligi videtur, juxta doctrinam divi Thomæ, voluntatem creatam non posse se determinare nisi prius determinetur ab alia. Unde cum non habeat causam superiorem quæ in illam possit agere, nisi Deum, determinandam esse a Deo. Ita ut hæc differentia intelligatur constitui inter libertatem increatam et creatam, quod increata seipsam determinat ad volitum, creata vero determinatur ab extrinseca causa, scilicet Deo.

Respondetur ad testimonium D. Thomæ. — Ad hoc testimonium Divi Thomæ possemus uno verbo respondere, ipsum generatim dicere causam contingentem oportere determinari ab aliquo exteriori ad effectum. Quæ verba possunt exponi de determinatione objectiva, seu finali, vel effectiva. Item, licet in idem redeat, de determinatione quoad specificationem, vel quoad exercitium actus; item de determinatione efficaci aut tantum de se sufficiente; item de determinatione effectiva, quæ tota sit et totaliter a sola causa extrinseca, sua vi prædeterminante causam contin-

gentem, aut de determinatione cooperativa quæ sit quidem a causa extrinseca, non tamen sine cooperatione ipsiusmet causæ contingentis; cum ergo verba divi Thomæ adeo sint generalia, sine causa exponuntur de sola prædeterminatione totaliter a causa extrinseca et effectiva, præveniente et determinante causam secundam etiam ad exercitium actus: talis enim est determinatio quam arguens vult ex illo loco divi Thomæ colligere; quæ cum maxime repugnare videatur contingentiæ et libertati, non est D. Thomæ attribuenti sine fundamento in verbis ejus, nisi difficultas, quam solvere intendit, illum intellectum requirat, et in hoc maxime insistendum est ad verum sensum illius responsionis et verbum D. Thomæ percipiendum.

In argumento ergo hoc sumit axioma divus Thomas: *Ab eo quod est ad utrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum.* In solutione autem respondet distinguendo hoc axioma; quia vel causa (inquit) est ex se contingens, vel ex se necessitatem habet, et de priore concedit debere determinari ad effectum ab aliquo exteriori; de posteriori autem causa, qualis est sola voluntas divina, negat illud axioma, quia illa determinat seipsam ad volitum, etiamsi ad illud non habeat necessariam habitudinem. Sed imprimis, quod attinet ad axioma illud, D. Thomas refert illud ex comment. 2 Physic., text. 48, ejus verba sunt: *Si aliquid est contingens æquale, impossibile est ut inveniat ex eo altera duarum actionum, nisi altera causa sit juncta cum ea, quoniam neutra actio est dignior ut sit reliqua; et cum ita sit actio, non invenitur ex eo quod est contingens æqualiter, nisi ex aliqua causa extrinseca conjuncta cum eo.* Quod quidem principium est evidens in causis non liberis seu naturalibus, quæ habent interdum illam indifferentiam seu contingentiam solum materialiter, de qua indifferentia videtur maxime loqui Averroes; nam inferius inquirens an hæc contingencia æqualis sit in causa agente vel recipiente, ita concludit: *Apparet igitur ex hoc quod contingens æqualiter non invenitur in potentiis agentibus per se, sed in potentiis passivis.* Interdum vero inveniri potest hæc contingencia in potentia activa et naturali, quando subordinatur in actione sua motioni superioris, in quo aliquid participat de potentia passiva. Sic potentia motiva animalis potest dici contingens æqualiter ad movendum vel non movendum, et ideo indi-

get determinatione ad alterutram partem ab appetitu, et appetitus ipse potest dici causa contingens ad fugam vel persecutionem, et ideo indiget determinante phantasia; et phantasia ipsa, quatenus indifferens est, indiget determinante objecto. Interdum vero causa aliqua naturaliter agens potest esse contingens seu indifferens ratione cujusdam universalitatis, ut sol dici potest indifferens ad exsicandum vel liquefaciendum, et talis causa etiam indiget aliqua alia causa determinante ipsam, quia non potest ipsa determinare se, sed completur determinatio vel ex parte materiæ vel alterius causæ. Hoc autem principium non habet eandem rationem necessitatis et veritatis in causa libera, quia illa non ex subiectione ad aliam, neque ex accidente vel ex indigentia alterius causæ habet contingentiam seu indifferentiam in sua actione, sed ex intrinseco dominio et potestate in actionem suam; et ideo stante æqualitate in contingentia actionis ejus, et in omnibus quæ ad illam concurrunt, sive ex parte concursus divini præparati in actu primo, sive ex parte intellectus et iudicii proponentis objecta ut æqualia, potest per absolutum dominium suum se determinare ad unum potius quam ad aliud, alioqui non salvatur vera et intrinseca contingentia libertatis. Nec quoad hoc debet comparari voluntas aliis causis naturaliter agentibus, quia reliquæ vel non possunt agere in seipsas, quod est necessarium ad determinandum se, vel non efficiunt actionem per se et intrinsece voluntariam perfecta et rationali voluntate, quod etiam est necessarium ad similem determinationem sui; nam ex defectu hujus conditionis, nec intellectus ipse potest se ipsum determinare ad exercitium actus, et ideo non est potentia formaliter libera. Hoc ergo modo videbatur facile dissolvi argumentum illud, distinguendo illud principium in causis seu potentiis naturaliter, seu libere agentibus, et admittendo illud in prioribus ac de illis interpretando Averroes, et negando in posterioribus de quibus sermo erat, et reddendo prædictam rationem diversitatis.

D. Thomas.—At vero D. Thomas, de cujus auctoritate nunc agimus, videtur aperte admittere illud principium, etiam in causis liberis creatis, et solum excipere voluntatem increatam; quo autem sensu et qua ratione id fecerit inquirendum nobis est: ad hoc autem necessarium est prius investigare quid intelligat per causam *quæ est ex se contin-*

gens. Solet enim causa vocari contingens in ordine ad effectum seu actionem, quia potest et illam efficere et ab ea cessare, quod quidem in causis naturalibus nunquam provenit ex ipsa causa agente secundum se, quia ipsa de se determinata est ad agendum; sed provenit ex aliquo impedimento vel incapacitate materiæ vel insufficientia virtutis: et ideo causa quæ ab intrinseco est indifferens ad agendum vel non agendum, dici potest et solet causa ex se contingens, ut sic distinguatur a causis contingentibus ex alio, ut sic dicam. Non possumus autem hoc modo interpretari verbum illud divi Thomæ, tum quia sine causa restringeret sermonem ad causam ex se contingentem, nam multo magis indiget causa determinante quælibet alia causa aliter contingens; tum maxime quia hoc modo etiam voluntas divina est causa ex se contingens; imo est prima in illo ordine, ut recte dixit Scotus, secundo, distinctione trigesima nona, quia ex se et maxime ab intrinseco est indifferens respectu objectorum creatorum; divus Thomas autem distinguit causam ex se contingentem a voluntate divina, *quæ (ut ait) ex se necessitatem habet*; ergo causam ex se contingentem appellavit illam quæ ex se non habet illam necessitatem quam habet voluntas divina. Voluntas autem divina non habet ex se necessitatem agendi vel volendi ultra se, imo habet ad talia objecta habitudinem non necessariam, ut ibidem subdit divus Thomas; ergo illa contingentia, de qua divus Thomas ibi loquitur, non tantum excludit necessitatem agendi vel volendi, sed aliquam aliam, de qua videndum superest.

Duplex necessitas invenitur in divina voluntate.—Duplex autem necessitas invenitur in divina voluntate, propria ejus: una est necessitas essendi quoad totam entitatem suam et realem actualitatem; alia est necessitas immutabilitatis, etiam quoad liberam determinationem semel habitam. Cum ergo divus Thomas ait divinam voluntatem habere *ex se necessitatem*, intelligi imprimis potest de necessitate essendi, et consequenter, ut proportionata sit partitio, causa ex se contingens dicetur omnis illa quæ ex se non habet necessitatem essendi. In hoc tamen sensu difficile erit rationem reddere cur causa quæ a se non habet esse, si alioqui libera sit et indifferens, ac proinde indeterminata ad unum, ex natura sua debeat ab aliquo exteriori determinari ad effectum, et non possit ipsa se-

ipsam determinare; nam licet esse recipiat ab alio, tamen per illud esse potest habere vim intrinsecam ad se determinandum; neque oppositum inferri potest ex eo quod talis causa habet esse contingens, seu ab alio. Respondetur tamen, posito illo sensu, differentiam fundari in hoc quod voluntas habens necessitatem essendi, sicut non pendet ab alio in suo esse, ita neque in suo velle, ac proinde neque in determinatione sua, sed sicut a se omnino est, ita omnino ipsa se determinat. Voluntas autem quæ est contingens in suo esse, sicut dependet ab alio in suo esse, ita et in suo velle, et consequenter etiam in determinatione ad volendum; quia qualis est esse rei, tale est operari seu determinari. Ex hoc autem discursu ad summum colligi potest determinationem causæ contingentis esse ab aliquo exteriori tanquam a prima causa a qua pendet esse talis causæ contingentis; non tamen colligi potest talem determinationem esse a sola illa causa exteriori, ut totali causa effectiva proxima illius determinationis, sed solum quod sit ab illa ut a causa prima concurrente seu cooperante cum secunda, quia licet causa secunda contingens in suo esse pendeat a solo Deo, quia ipsa non potest active concurrere ad suum esse, nihilominus operatio talis causæ non pendet a solo Deo, sed simul ab ipsa causa, quia per suum esse potest cum Deo influere in esse suæ operationis. Et eadem ratio est de determinatione formali, quando ipsa non est connaturalis et intrinseca ipsi actui primo, sed additur de novo ipsi causæ; nam tunc etiam ipsa potest per entitatem suam influere in talem determinationem, ut ratio facta probat. Quapropter ex hoc loco D. Thomæ solum habemus determinationem liberam voluntatis sumendam esse a Deo ut a causa prima concurrente, non tamen esse sine simultaneo influxu ejusdem voluntatis creatæ seipsam determinantis.

Secundo potest hoc amplius explicari, si per necessitatem quam voluntas divina ex se habet, intelligamus necessitatem immutabilitatis, quam voluntas divina simul cum libertate habet quoad omnem formam et modum realem sibi intrinsecum. Est enim hæc magna et notabilis differentia inter voluntatem liberam increatam vel creatam, quod voluntas increata, cum absoluta necessitate in toto esse et in omni modo reali suo, habet ex se indeterminationem ad secundaria objecta diligibilia, unde fit ut se non determinet quasi

transeundo in se et intra se a potentia ad actum, sed simplicissimo et actualissimo modo cum sola habitudine rationis ad objectum. Et hanc determinationem dico esse cum omnimoda indeterminatione talis voluntatis, unde fit etiam ut sit absque ulla efficientia intra ipsummet Deum. Et consequenter etiam fit ut non possit esse ab aliquo exteriori ullo modo, sed ut sit ab ipsamet voluntate formaliter per seipsam. Libertas autem voluntatis creatæ consistit in tali determinatione quæ excludit necessitatem essendi, non solum in ipsamet facultate volendi, sed etiam in aliquo alio esse reali, quod ei additur, saltem per modum actus secundi seu actionis, quando actualiter determinatur, quia talis determinatio fit transeundo de potentia ad actum, et consequenter fit cum aliqua reali mutatione ipsiusmet causæ quæ determinatur. Mutatio autem realis non fit sine nova efficientia reali; ergo illa determinatio est per novam efficientiam; omnis autem efficientia circa causam inferiorem manat ab aliqua causa priori et extrinseca; ergo omnis causa hoc modo de se contingens et determinata indiget principio aliquo extrinseco determinante. Sed ex hac differentia et ratione illius non amplius probatur quam quod dictum est, scilicet, determinationem talis causæ contingentis non fieri sine influxu effectivo alicujus causæ extrinsecæ, saltem primæ; non tamen sequitur fieri a sola illa, nec sine coefficientia ejusdem causæ contingentis, ut satis jam declaratum est. In quo etiam et maxime animadvertendum, determinationem hanc, quæ de novo fit in tali causa contingente, recipi formaliter in ipsa, non tamen per modum actus primi, ille enim semper in se manet indifferens quoad vim agendi, sed recipitur per modum actus secundi et actualis tendentiæ in objectum seu terminum, et ideo ita recipitur in ipsa causa, ut sit etiam ab ipsa, quamvis non sine influxu superioris causæ.

Sed instant aliqui, quia si voluntas creatæ, cum determinatur, mutatur, necesse est ut ab alio mutetur, juxta vulgare axioma philosophicum, quod intelligitur non solum ita ut quidquid movetur vel mutatur, realiter mutetur ab alio ut a causa prima concurrente, sed etiam ut a causa proxima, quia non potest idem mutare seipsum, etiam ut causa proxima, quia non potest simul esse in actu et in potentia. Verumtamen hæc ratio vulgaris est, et communis omnibus potentiis quæ in seipsis efficiunt suos actus immanentes; unde aut pro-